1

Calicem salutaris accipiam et nomen domini invocabo. Credidi propter.
Cum his qui oderunt pacem eram pacificus cum loquebar illis inpugna
bant me gratis. Ad dominum cum tribularer. Ab hominibus iniquis libera me domine
eripe. Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi et a scandalis operan
tium iniquitatem. Domine clamavi. Considerabam ad dexteram et videbam
et non erat qui cognosceret me. Voce mea. In ev. Cenantibus autem ac
cepit ihesus panem benedixit ac fregit dedit discipulis suis. Magnificat
Refecti vitalibus alimentis quesumus domine deus noster ut quod tempore
nostre mortalitatis exsequimur, inmortalitatis tue munere
consequamur. Fer. VI. In parasc. Deus a quo et iudas.
Hec dicit dominus. In tribulatione sua mane consurgent ad me
dicentes. Venite et revertamur ad dominum quia ipse cepit et cu
rabit nos. percutiet et sanabit nos. Vivificabit nos post duos
dies. in die tertia suscitabit nos. et vivemus in conspectu eius. Scie
mus sequemurque ut cognoscamus dominum. Quasi diluculum prepa
ratus est egressus eius. et quasi imber nobis et serotinus terre.
Quid faciam tibi effraim. Quid faciam tibi iuda. Misericordia
vestra quasi nubes matutina. et quasi ros pertransiens. Propter
hoc dolavi in prophetis. occidi eos in verbis oris mei. Et iudicia
tua quasi lux egredientur. quia misericordiam volui et non sacrifi
cium. Et scientiam dei plus quam holocausta. R. Domine
audivi auditum tuum et timui consideravi opera tua et expavi
in medio duum animalium innotesceris
dum appropinquaverint anni cognosceris dum advenerit tem
pus ostenderis. In eo dum conturbata fuerit anima
mea in ira misericordie memor [illegible]